

No. 242. Um 1276.

B. Withego beurkundet, dass die Ansprüche, welche Heinrich von Barut wegen eines Burglehns zu Stolpe etc. erhoben, nach der Entscheidung mehrerer berufener Schiedsrichter nichtig seien.

Nos Witego dei gratia Misnensis episcopus notum facimus tam praesentibus quam futuris, quod nobilis vir dominus Henricus de Barut pro se ac heredibus suis nobis, ut praedecessoribus nostris fecerat, pluries movit ut audivimus quaestionem, quod quoddam castrense feodum ab episcopo Henrico sibi ut asseruit collatum in Stolpe, praedecessore nostro piaae memoriae, et duos mansos in Roicendorf^{a)}, ei conferre sicut et praedecessores nostri fecerant contra iustitiam negaremus. Die autem praefixo in Jawernic^{b)}, ut eadem quaestio iustitia vel amicitia sopiretur, variis placitis hinc et inde inter nos habitis in talem formam utrimque nos et ipse convenimus, quod in nobilem virum dominum Ekehardum de Milbvz, dominum Hozerum de Langenowe, dominum Siffridum de Bischofeswerde, dominum Conradum de Bvdessin, dominum Fridericum de Doberschowe milites, dominum Theodericum plebanum de Jochgrim, Hertwicum de Bischofeswerde, huius rei conscios et memores compromisimus, ut per fidem nobis exhibitam, et in qua deo et nobis tenerentur, dicerent super huiusmodi impetitione dilucide veritatem, nosque utrimque promisimus bona fide servaturos, quicquid inter nos et saepedictum H. de Barut et suos heredes secundum eorum conscientiam et notitiam faterentur. Qui deliberato veritatis consilio manifeste protestati fuerunt, quod dominus H. saepedictus de Barut et sui heredes nullam haberent vel habere deberent vel possent actionem contra nos vel successores nostros vel Misnensem ecclesiam super praedicto feodo castrense, et si aliquando quaestio mota fuisset, de facto ipsa temporibus episcopi Henrici Misnensis praedecessoris nostri fuit amicabiliter concordata. Insuper dicebant, quod super mansis in Roicendorf nunquam habuissent nec haberent quicquam iuris. Testes huius sunt dominus Johannes plebanus de Gorlicz, C. de Salant, H. de Jawernic, Jacobus de Schonenberc plebani, Johannes curiae nostrae notarius, dominus H. de Schirin, Christanus de Sare, Conradus Wersinc, Wolvrammus de Panewitz, Otto de Kemnitz, Theodericus de Zitzin milites, Gvnzelinus de Willentin, Schibanus de Stolpe, Arnoldus de Hvgeswalde et plures alii fide digni. In cuius rei testimonium praesentem scribi fecimus litteram et subsequentibus sigillis sigillari nostro videlicet Misnensis episcopi, domini Johannis plebani de Gorlitz

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit ursprünglich fünf an Pergamentstreifen befestigten Siegeln, von welchen das erste des Bischofs und das dritte fehlen; vorhanden sind die Siegel des Pleban Joh. von Görnitz, des Conradus Wersinc (Querbalken mit 3 darauf gelegten fünfblättrigen Rosen) und Ottos von Kemnitz (ausgerissener aufrecht stehender Baum mit Wurzeln).

a) Rossendorf Par. Eschdorf. b) Jauernick, Par. Kittlitz.